

DE RATIONE ZVLAPIA, A C S E R A P I A

PRÆPARANDI,
COMMENTARIUM III.



*Quid Serapium, & quæ eorum materia; unde
de Saccharo, Sapa, et Melle quædam
narrantur. Cap. I.*



ERAPIUM, aut Zulapium barbara voce
solemus nominare quod cum Melle, aut Sac-
charo, aut Sapa decoctum ad bibendum præ-
bemus. Hanc descriptionem ad litte-
ram reliquit posteritati Actuar. lib. de
Comp. Med. & ideo à Grecis potius Portiones dulces
appellantur, atque suaves, inter quas Confectio de
Moris, ac de Capitibus Papaueris, & Oxymel, & Hi-
dromel, & alia multa à Gal. descripta collocantur.

Tria attulit in medium Actuarius, quæ exstant
tamquam materia, cui admiscuntur aut Decocta,
aut Infusa, aut Stillatitia, aut Succī, ex quibus Sera-
pia parantur: Sunt hæc Saccharum, Mel, & Sapa,
at quoniam non ex quocumque Saccharo, aut Mel-
le, aut Sapa est consonum rationi hæc parari; ideo
à nobis narrandum erit, duce tamen semper ali-
quo nobilium, ac veterum Scriptorum, qualia in-
ter hæc feligenda veniant, & quomodo paranda,

V

VI

154 De vera Meth. Phar. par.

vt accommodata sint ad hæc non tantum conficienda, sed etiam ad Electaria, ceterasq. Confectiones, quæ talibus indigent.

Saccharum quale.

Sit Saccharum purum, ac album, vt Mesue placet cap. de Syrupo acetoso: sed quoniam tale etiam in se continet adhuc aliquas partes impuras, & crassas, nos docet modum depurandi illud his verbis:

Depurandi modus.

Accipe Sacchari boni, & albi partes quinque, aquæ fontis dulcis, & claræ partes quattuor, decoquantur in vase lapideo semper spumam abijciendo, donec clarificetur, ignis sit prunarum, aut tenuis flammæ sine fumo. Tale postea erit decoquendum & ad Zulapij, aut Serapij formam: Recentiores, vt facilius, & citius depuræt & Saccharum, & Mel, iniiciunt vnum, aut duo ouorum albumina secundum quantitatem & Sacchari, & aquæ, vel succi, vel liquoris, quæ postea simul exagitant diligenter, & coquunt spumam continuo auferendo, qui quidem modus depurandi à Mesue, vt legitur, non fuit obseruatus, nec ab Albucasi; fortè enim timebant, nec præter rationem, ne aliqua qualitas ouorum communicaretur liquori. Discant

Error multorum.

Pharmacopolæ à dictis Mesue avaritia penitus neglecta assumere Saccharum purum, & album; vt Pharmaca postea sint & suauiora, & gratiora, & puriora: & prætereavt per longum temporis curriculum seruentur, ne acida fiant, quod sæpè euenit Syrupis, qui ab ipsis conficiuntur, nec non etiam Zulapijs, quæ turbata non rarò ob Sacchari sedimenta conspiciuntur, vel ob nouam ebullitionem spumantia; & ideo à miseris infirmis, vt insuauia, & nauseam

nauseam mouentia respuuntur; unde coacti sunt Medici inuitis Sepiasarijs diluta instituire.

Mel deligatur, quod sit colore flauo, odore suauis, totum perlucidum, gustanti parum acre, incundissimumque, præterea sibi cohæreat, ut si digito attollatur, continuum sit sibi, nec intercisum ad humum fluat. Hæc Galenus 7. Meth. c. 6. & 1. de Antid. c. 2. & 4. quo reprobatur verus, & ad modum recens, quæ omnia ferè narrantur à Diosc. lib. 2. cap. 39. Modum depurandi, ac elixandi reliquit scriptum Gal. 3. de Alim. facult. sic: Aufertur acrimonia à Melle, si primum multum illi aquæ admiscuerimus, deinde tantisper coxerimus, quod spumare desinat. Oportet autem spumam statim, ut emerferit, continenter ab ipso tollere, quod Mel elixum appellamus, coctum autem dicitur, quod sine aqua. Decoquebat Paul. lib. 6. c. 15. vel elixabat, usquequo spumofum, ac cerofum supernatabat. Terminum decoctionis tradidit 2. ad Glauc. c. 8. ita: Elixatur autem ad Emplastri consistentiam: oportet enim ipsum, ne adeo durum esse, ut difficulter labatur, nec ita humidum, ut circumfluat. Coquitur autem Mel, & curiosè despumatur super prunas ex quercu, vitæve ad summum candentes, quo minus sit excrementitium, ut 7. Meth. c. 6. Quantitatem spumæ auferendæ decreuit 4. de sanit. tuen. c. 6. his verbis: Optimum verò, ut brevissimo tempore coquitur, ita minimum spumæ euenit: unde nec pari coctione ei est opus, plurimum certè quartam partem eius, quod ab initio est inditum, amittit. Curiosè autem, id est diligenter in medicamentis est despumandum, sicuti cap. 7. Immo & duplici vase in Pharmacis Arteriis, ut 7. per loc. c. 2. Cognouerunt

Mel eligendum.

Mel quomodo elixatur.

156 De vera Meth. Pharm. par.

Saccharum
à Græcis co-
gnitum.

Græci Scriptores etiam & Saccharum, etiam si, ut le-
gitur, apud ipsos in medicamentis conficiendis, nō
erat in usu, sed tantummodo Mel. Hoc cognouit
Dioscor. sicuti cap. de Melle, ubi scribuntur hæc :
*Est aliud Mellis genus, quod Saccharon nominatur, in
India verò, & Felici Arabia in arundinibus inuenitur Salis
modum coactum, dentibus, ut Sal, fragile. Quæ omnia
Galen. lib. 7. Simpl. confirmavit, & addidit. Porro
quatenus nec inimicum est stomacho, ceu nostrū
Mel, nec sitim afferens, eatenus ab illo substantia
differt.*

Sapa quo-
modo pare-
tur.

*Est Sapa mustum coctum, lenissimum Pharmacum, &
maximè meatus oblinens, quod à Græcis in nostra Asia Heps-
ma appellatur. Hæc 7. de Comp. Med. per loc. cap. 1.
Id nihil vinosum habeat, quale non ex austerarum uinarum,
sed quammaximè dulcium musto præparatur, nec ex primo
fluente, sed postremò, si igitur tale mustum extiterit, coquen-
dum ad dimidiam partem, vel ad tertias, (scilicet duarum
partium consumptionem.) & hæc 3. de Comp. per ge-
nera, cap. 2.*

De modo Zulapia, et Serapia parandi,
ac conficiendi. Cap. II.



GENERA multa Syruporum proposuit
Mesue Distinctione sexta his verbis: Sy-
rupus aut simplex est, ut Iuleporum species,
vel ex multis compositus. Item aliqui Syru-
porum sunt species Oxymellitis, alij etiam Aromata recipiunt,
quæ Condita dixit, inter quæ enumeravit aquam
Mellis,

Mellis, Oxymel, Vinum mulsum, Acetum scillinū, & tandem Succos quosdam densatos, quos Rob, aut Robus vocauit. Nos autem facilioris narrationis gratia, necnon etiam intelligentiæ, aut instructionis duo statuemus Serapiorum esse genera: primum, quod ex stillatio, aut infuso, aut succo, aut herbarum decocto paratur: secundum, quod ex multorum decocto, vel aridorum tritorum receptione conficitur.

Prima illa, quæ ex aqua exempli gratia rosarum, aut infusione componuntur, Zulapia à nobis etiā dicuntur, quæ ex tribus libris aquæ, aut infusionis, & duabus Sacchari, docente Mesue, optimè depurati, & clarificati parantur, diligenter decoquendo, & spumam remouendo ad debitam cōsistentiam, vt Actuarius placet lib. de Comp. Med. vel ad Mellis compagem liquidioris, veluti Act. Ser. 3. Ignis sit prunarum, aut leuis flamma sine fumo, imperante Mesue, debitè autem decocta existunt, cū solūm (loquor de Zulapijs) ex vna libra decocti, aut aquæ manent vnciæ quattuor, si aquosa, & diluta illa desideramus. At si ad formam veri, ac decocti Syrupi talia decoquere volumus, solūm vnciæ tres & vix, vt quotidiana experientia demonstrat, seruantur. At in Serapijs, quæ crassa in se recipiunt, vt Myrobalanos, Aromata, Tamarindos, Cassiam, & similia, manēt vnciæ sex pro qualibet Sacchari libra circiter. Sicut Zulapia parantur, sic & Syrupi, qui ex Succis, aut Infusione, qui Simples vocantur. Sumitur enim libra vna cum dimidia Succo optimè depu-

Zulapia.

Syrupi co-
ctura.

Succi sint
decocti q. b.
Serapia pa-
rantur.

depurati, & ad dimidium decocti, vt cap. de Succis patefecimus, & Sacchari albi depurati libra vna, & decoquuntur spumã abijciendo ad exhalationẽ quindecim ad minus succi vnciarum. Sed si diligenter Mesue verba perpendamus potiùs maiorem copiam succorum imponit, quàm secus, veluti in Syrup. de Pomis libras quinque succi depurati, & tres Sacchari, cuius exemplo multa Serapia conficere iubet: attamen in tanta quantitate solùm librẽ dimidium excedit regulam illam. At in Syrupo de acetositate Citri, qui est tamquam exemplar Syrup. de Omphacio, & de Myrto, decreuit accipiendas esse libras septem Succi clarificati, & quinque Iulepi clari, & depurati: vnde videre licet non semper accipere eandem quantitatem, attamen paulò à prima distantem. At Aet. Ser. 3. in descriptione Mellis rosacei purgantis ponit lib. vnam Mellis, & vnam Succi rosarum, & decoquit ad Mellis compagem. Sed Gal. 6. de Comp. Med. per loc. c. i. vbi de Med. ex succo Mororum ponit libras quinque Succi, & vnam Mellis; attamen si aliquis dulcioribus delectatur, plus Mellis iniiciatur. Si verò nulla inueniatur descripta quantitas aut Succi, aut Decocti, aut Infusionis, sit semper liquoris vna libra cum dimidia pro singula Sacchari libra, quæ coquantur ad consumptionẽ quindecim circiter vnciarũ. At in illis, quæ in se admittunt aliquam substantiam crassam, vt plurimùm maneant sex vnciæ pro singula Sacchari, & Mellis libra.

Si ex Decoctis Syrupi parentur, vel seruandus est
ordo

ordo decoquēdi secundū naturam Simplicium, quem capite de Decoctionibus, & Decoctis proposuimus; aut omnia simul infundenda, & postea coquenda, nisi aduersetur hoc Scriptorum sententiæ, quod obseruauit Mesue in Syr. de Glycyrrhiza, de Absinthio, Adianto, Syr. acetato Diarhodon, & in Oxymeli purgati melancoliā, in quib. macerat multa diuersi generis, quorum quædam longam possunt ferre coctionem, & quædam breuem, & quorum aliqua sunt purgantia, vt Agaricum, Polypodium, & Stæcados, quod sæpe etiam instituit Hally, vt in Syrup. Candari. Vel lenientia, vt Cassia, Manna, & Tamarindi, si hæc recipiat Syrupus, sicut etiam purgantia, veluti Rhabarb. & Hellebori radices prius in aliqua portione liquoris macerata in fine Decocto addantur, & colo laxo transmissa, & expressa cum Saccharo depurato coquantur; quod fortè præcepit Mesue in Syr. de Fumaria, qui recipit & Cassiam, & Tamarindos, & Myrobalanos; hæc enim omnia in Decocta & expressa decoquere iubet cum succo Fumariæ, & Saccharo. Vel dicta in aliqua parte Decocti colati dissoluantur, & macerentur, & colo raro traijciantur, & alijs liquoribus addantur, quod interdum ille imperauit, vt in Triphera Persica, quæ paulatim, & paulatim, dum Syr. coquitur, addantur. Aut purgantia, vt Scammonium, Hellebori radix, Agaricum, Turpethum, & Carthami semen, prius confracta, panno lineo, raro, & laxo ligata, in Syrupo, dum decoquitur, mersa sæpe confricentur, quorum omnium meminit,

meminit Mes. vbi de varijs generibus Oxymelis, & de Infus. c. 74. cuius vestigia sequētes possumus nodulo imponere & Rhabarbarum, & similia; prius tamen frangantur, & Decoctis irrorentur, vt facilius eorum tenuior pars, & facultas foris, dum confricantur, labatur; vel hæc tenuissimè læuigentur, & Syr. addantur; vel cum aliqua portiuncula illius dissoluantur, & in fine coctionis illi admisceantur; parùm tamen bulliant, & maximè Scammonium, vt placet Aerio.

Si Acetum recipiat, quod quantitate sit paucū, in fine addatur, imperante Mes. in Syr. de quinque radicibus, & aceto: At si multum sit, inchoante coctione, vt in Oxymeli de radicibus, & de Ligustico: etsi in Syrupo aceto cholagogo in fine addit acetilib. ij. & succi Granatorum lib. j. β. & percoquit igni lento.

Si Penidia, vel Mel, vel Sapa Syrupus recipiat, vnà cum Saccharo, & liquoribus ponatur, quod seruauit Mes. in Syr. de Glycyrrhiza.

Nodulo detentus ebulliendus est Crocus, & inter coquendum fricandus, vt Mesue, vel hic addatur, cum aufertur Syrupus ab igne, optimè comminutus, vt Auic. lib. 5. S. 1.

Possunt & nodulo imponi Gummi, & Semina viscedinem continentia, de quibus iam diximus, vbi de Decocto, si ægri lentorem Serapij fugiant, talia sunt semina Cydoniorum, Maluæ, & Tragacathi.

Aromata, quæ Serapia ingrediuntur, aut macerentur per duos dies parùm contusa, deinde Saccharo

charo coquantur illa infusa, aut nodulo inclusa in Syrupo decoquendo suspendantur: Fricare autem oportet sæpe eum, donec crassescat. Hæc habemus à Mesue, vbi de Condito Cydoniorum, & Citri.

Si Moschus, & Ambra, aut Gallia, quæ etiam ab Arabib. inter Aromata locatur, aut Caphura in Syrupis ponenda erunt, postquã optimè decocti fuerint, & diligenter clarificati, accuratè illa læuigata non contundendo, sed pistillum leuiter exagitando, & ad latera ducendo in ipsos inijciantur: Mes. præceptum, sed prius ab igne illi remoueantur, vt Auic. loco iam citato, & Serap. & Haly, qui iubet dissoluere interdum hæc Melle, & nos aliqua portiuncula ipsius Serapij affirmamus: aut cum Sacchari aliqua parte terere.

Si optimè fuerint decocta, & loco conuenienti repofita seruantur Serapia ad duos annos, teste Serapione in Antid.

De Iulepi Rosati descriptione Mesue, quod Serapium à Recentioribus vocatur.

Rx. Aquæ, in qua Rosæ sint maceratae, & hæc dicitur Infusio Rosarum, lib.v.

Sacchari albi, & optimi lib. iiij. *Ingred. ij.*

Igni lento decoquantur ad exhalationem quatuor circiter librarum, infusionem semper despumando.

X *Iulepum*

Iulepum Rosatum Commune.

℞. Aquæ Communis,
 Aquæ Rosarum, ana lib. iij.
 Sacchari elect. lib. viij.

Ingred. ij.

Decoquantur placidè spumam abijciendo, ut
 est artis.

Iulepum Rosatum Mesue ex aqua Rosata.

℞. Aquæ Rosarum lib. iij.
 Sacchari lib. ij.

Ingred. ij.

Decoquantur ad debitam compagem. At quidā
 Recentiorum dicūt aque Rosarum esse libras quat-
 tuor, quod omnino repugnat Mesue dictis. Aliqui
 tale Zulapium parant Conferua Rosarum, & aqua
 Rosarum, vel communi aqua, & Saccharo, quæ
 cum decocta fuerint colo denso, ut optimè depu-
 rata sint, transmittunt.

Error ali-
 quorum.

Iulepum Violatum eo modo conficitur, quo Ro-
 satum, ut Mesue.

Descriptio Iulepi Rosati Purgatorij Mes. ibidem.

℞. Succi Rosarum lib. iij.
 Sacchari lib. ij.

Ingred. ij.

Simul coquantur ad consumptionem duarum li-
 brarum cum dimidia circiter succi.

Syrus

Syrupus de succo Oxalidis Mesue.

Rx. Succi Oxalidis, idest Acetosæ diligenter depu-
rati lib. iij.

Sacchari lib. ij. *Ingred. ij.*

Fiat Serapium ex arte.

Et Syrupi cuiuscumque Simplicis eodem modo
parantur, vt è succo Oxalidis, sicuti

Endiuia,	Saluia,	Rutæ Caprariæ,
Agrimoni,	Betonica,	Nimpha,
Boraginis,	Portulacæ,	Lupulorum,
Fumariæ,	Buglossi,	Granatorum, &c.

Syrupus è succo Cucurbitæ Mesue.

Rx. Succi Cucurbitæ magnæ maza, idest ex farina,
& aqua inuolutæ, & clibano decoctæ lib. v.

Sacchari lib. ij. *Ingred. ij.*

Percoque secundum artem.

*Syrupus ex Corticibus Citri Mesue,
et circa ipsum Exercitatio.*

Rx. Corticum Citri lib. j.

Aquæ Fontis lib. v.

Coquantur ad duarum librarum consumptio-
nem, colentur & cum

X 2 Sacchari

Sacchari lib. j.

Moschi gr. iiij.

Ingred. iiij.

Lento igne percoquantur ad Serapij formam, abijciendo spumam, deinde remoueat ab igne, & addatur Moschus diligenter læuigatus, aut aliqua Syrupi portiuncula accuratè dissolutus, Cortices sint odoratæ, & medulla illa candida penitus priuatæ. Alij referente Mesue: *Corticum quantitatem istam in Iulepum probè coctum proyiciunt, & fit delectabile; quod si aqua, cui cortices Citri sint incocti, Sericum cocco baphica tinctum maceraris, præstantius euadet.*

Syrupus ex acido succo Citri, et circa ipsum parandum Exercitatio Mesue.

Rx. Succi Citrorum acidilib. xij.

Iulepi clari, & purg. lib. v.

Ingred. ij.

Decoquatur succus igni lento prunarum ad tertiæ partis consumptionem, cola, residere, donec clarescat, permitte. Percoque ad iustam crassitudinem, aut si æstas, insola, donec aquosa eius substantia consumetur. Hæc Mesue. Nonnulli propria opinione ducti solùm libras septem succi non decocti sumunt, & cum Zulapio parant Syr. Ignorant hi succum ebullitione illa ad exhalationem tertiæ partis fieri præstantiorem, & puriorem, & præterea paruifaciunt auctoris sententiam: sicuti aliqui alij arbitrantur acidum illum saporem tali coctura euanescere, quod quidem fallum existit,

Error aliorum.

Error aliorum.

stet, vt experientia demōstrat. Quidam auaritia impulsi, succum à Citris putredine secūdum aliquam partem contaminatis eliciunt, qui insuaue, & amarum quoquomodo reddunt Serapium, adde & vix acidum existere: & alij, vt multum succum à parte acida educant, vnà cum membranulis, & cartilaginibus illam prælo exprimunt: quapropter & impurum, & minus acidum euadit Serapium, immo & quoquomodo amarum.

Error aliorum maximus.

Syrupus de Omphacio, et de Baccis Myrtorum.

Fit eo modo, quo ex succo Citrorum. Aliqui illos condiunt Caryophyllis. Hæc Mesue.

Syrupus Saporis Regis Persarum à Mesue descriptus, et eiusdem circa ipsum Exercitatio.

- ℞. Succi Pomorum redolentium lib. iij.
Succi Buglossi domestici, & siluestris, scilicet flores purpureos producentis, ana lib. ij.
Senæ vnc. iij.
Crocī drach. ij.
Sacchari lib. iij.

Ingred. vj.

Fit sic. Sena contrita per horas vigintiquattuor succis maceretur, semel deinde feruetur, expressum post cū Sacch. percoquatur in Syr. Crocus aut panno ligatus lineo inter coquēdū infricetur. Mel. hæc.

Syrupus

*Syrupus è Ziziphis Mesue, quem Iulepum
Ziziphorum appellat.*

Rx. Zizipha magna, & pinguia nu. centum.
Sacchari lib. j.
Aquæ lib. iiij.

Ingred. iij.

Error ali-
quorum.

Zizipha illa optimè deterfa, & cultro plagata, vt capite de Fructibus & Decoët. diximus, macerentur in aqua calida; deinde bulliant ad consumptionem duarum librarum spumam auferendo, postea col. & leuiter exprimantur, quod decoëtum cum Saccharo decoquatur in Syrupum, quem Recentiores Simplicem dicunt. Aliqui, vt repugnēt autoris sententiæ, aquæ libras sex imponunt, vt fortè ne ita viscidus euadat, quod quidem ridiculum esset, cum ad lambendum institutus sit ab autore.

*Syrupus Ziziphorum compositus Mesue, et circa
viam ipsum preparandi Exercitatio.*

Rx. Zizipha sexaginta,
Violarum,
Seminum Maluæ, ana drach. v.
Adianti albi, i. Capil. Vener.
Glycyrrhizæ,
Hordei mundi, ana vnc. j.
Sem. Cydoniorum,
Papaueris, ana drach. iiij.

Sem.

Sem. Melonis.

Lactucæ,

Tragacanthi, ana dr. iij.

Aquæ fontanæ lib. iiij.

Sacchari lib. ij.

Ingred. xiiij.

Hordeum purum optimè mundum, & à pulvere deterfum in aquam ad ebulliendum iniiciatur; postea Glycyrrhiza, deinde semina Maluæ, Cydoniorum, & Tragacanthum, & paulò post semina Papaueris, Melonum, & Lactucæ leuiter contusa; post hæc Violæ, & Adiantum. Coquantur ad consumptionem dimidij; colo raro traijciuntur, & cū Saccharo decoquantur ad Serapij formam. Aliqui dedita opera, vt aduersentur Mesue placitis, aut videantur aliquid moliri, nodulo succum lentum in se continentia inuoluunt, ne viscidum euadat decoctum, hæc sunt semina Maluæ, Cydoniorum, & Tragacanthum; ignorât hi finem Mesue, ita enim fuit ab ipso institutum, ne facilè ad pectus labatur, & leniret fauces, & incrassaret fluidos humores. Sed illud agendum erit, si ægrotantes Serapium ita viscidum abhorreant, imperante tamen Medico.

Error multorum.

Syrupus Papaueris simplex Mesue.

℞. Capitem Papaueris albi, & nigri, ana drach. lx.

Aquæ pluuiæ lib. iiij.

Sacchari albi,

Penidiorum, ana vnc. iiij.

Ingred. v.

Deco-

Error multorum.

Error aliquorum.

Decoquantur capita prius tamen macerata, precipue si iam exsiccata, quę sint semine plena, ad consumptionem duarum lib. & dimidia, colentur, & percoquatur cum Saccharo, & Penidijs. In huius Serapij Confectione non pauci Seplasiarij, qui modum scripserunt illum parandi, errarunt, cum quantitatem Sacchari, & Penidiorum augeant, & decocti minuant, affirmantes fieri illum minus lentum: at hi assecuti non sunt veram sententiam Mesue, ac eius finem, vt superius, vbi de Serapio Zizipharum, narrauimus. & ideo ad Medicos modum medicamina parandi attinere certissimum est.

Syrupus Papaueris compositus Mesue.

℞. Caput Papaueris albi, & rubri, in cuius defectu nigri, ana drach. l.
 Capil. Veneris drach. xv.
 Glycyrrhizę, drach. v.
 Zizipha nu. xxx.
 Seminum Lactucę drach. xl.
 Sem. Maluę,
 Cydoniorum, ana dr. vj.
 Aquę lib. iiij.
 Sacchari,
 Penidiorum, ana vnc. viij.

Ingred. xj.

Error aliquorum.

Coquę ad dimidij consumpt. vt est artis: colatum percoque cum Saccharo, & Penidijs in Syrup. formam, Mesue. Nonnulli affirmant desumendas esse aduersus opinionem Mes. aquę lib. sex.

Syrupus.

Syrupus Violatus Mesue.

℞. Violarum vnc. ij.
Sem. Cydonii,
Maluæ, ana vnc. j.
Zizipha,
Myxa, i. Sebesten, ana n. xx. alij xxx. & alij viij.
Aquæ Cucurbitæ lib. vj.
Sacchari lib. j. β.

Ingred. viij.

Secundum artem fiat Syrupus. Aliqui, vt videan-
tur corrigere Mes. mentem septem libras aquæ, &
non sex esse statuunt.

Error ali-
quorum.

Syrupus Portulacæ Mesue.

℞. Seminum Portulacæ tritorum lib. j.
Succi Intybi, scilicet Endiuie cocti, & purga-
ti, lib. iiij.
Sacchari lib. ij.

Ingred. iiij.

Semina illa trita macerentur in succo horis vi-
ginti quattuor, postea igni lento bulliant ad dimi-
dias, & tunc expressum cum Saccharo coque in Sy-
rup. additur interdum aceti libra vna, vel succi Gra-
natorum libra vna cum dimidia. Hec Mesue.

Syrupus Adiantinus Mesue.

℞. Glycyrrhizæ vnc. ij.

Y Adian-

Adianti albi, scilicet Capil. Ven. vnc. v.

Aquæ fontis lib. iiij.

Sacchari clarificati,

Aquæ Adianti, ana vnc. viij. *Ingred. v.*

Macera per spacium vigintiquattuor horarum
Adiantum, & Glycyrrhiza in dicta aqua, coque
ad dimidias, & expressum coque cum Saccharo, &
aqua Adianti. Hæc Mes.

*Syrupus Acetatus Mesue, et Exercitatio ipsius
circa methodum illum parandi.*

Rx. Sacchari lib. v.

Aquæ fontis lib. iiij.

Aceti albi, & clari lib. ij. *Ingred. iij.*

Aqua, & Saccharum coquantur in vase lapideo
ad dimidias semper despumando carbonibus ac-
censis, aut flamma exigua sine fumo: tunc adde
Acetum, & percoque in Syrupum. Si autem valen-
tissimum vis, libras quattuor eius, si mediocri viri-
bus libras tres. Mes. Sed hoc ad Medicos attinet
decernere.

Syrupus Acetatus cum Radicibus.

Rx. Radicum Apii,

Feniculi,

Intybi, scilicet Endiuia, ana vnc. iij.

Sem.

Sem. Apii,
 Fœniculi,
 Anisi, ana vnc. j.
 Sem. Intybi, scilicet Endiuia vnc. β.
 Aquæ fontanæ lib. x.
 Sacchari q. s. videlicet lib. iij. *Ingred. x.*

Decoquantur omnia ad euaporationem dimidii, radices scilicet medullis illis internis priuate, & in frustula dissectæ, postea Semina contusa, expresso, & colato adde Saccharum clarificatum, deinde Acetum additur quantumlibet, vt extant vnciæ sex, vel octo circiter.

Syrupus quinque Radicum, qui est in usu.

Rx. Cort. Radic. Apii,
 Fœniculi,
 Petroselini,
 Asparagi,
 Rusci, ana vnc. ij.
 Sem. Apii,
 Fœniculi,
 Petroselini, ana vnc. j.
 Aquæ fontis lib. x.
 Mellis optimi, & despumati lib. iij.
 Aceti lib. j. vel vnc. viij. *Ingred. xj.*

Fiat Syr. vt est artis.

Y 2 Syrupus

Syrupus Bizantinus Mesue, vel Dynari, quod nomen denotat auaritiam à bono Pharmacopæo esse alienam, et modus conficiendi.

℞. Succi Intybi, scilicet Endiuia,
 Apii, ana lib. ij.
 Succi Lupuli,
 Buglossi hortensis, multi statuunt esse Boraginem, vel siluestris, ana lib. j.
 Sacchari lib. ij. β. *Incred. v.*

Succi feruescant, & purgentur, & eius succi clarificati lib. iiij. igni lento cum Saccharo coque. Interdum Acetum mensura succorum purorum dimidia incoquitur. Interdum Rosarum vnciae duae, Glycyrrhizæ vncia dimidia, Spicae Nardi drachmæ duae, Sem. Anisi, Fœniculi, Apij, ana drach. tres, succis incoquantur, & mirus euadit. Postea, ut ex postulat ratio, colètur, & exprimantur, & cum tali Decocto, & Saccharo fiat Serapium. Hoc, cum recipit acetum, dicitur cum aceto.

Syrupus Acetatus Diarhodon Mesue.

℞. Succi Intybi, scilicet Endiuia,
 Apii, ana lib. ij. & β.
 Cortic. Radic. Apii,
 Fœniculi,
 Intybi, ana vnc. ij.
 Rosarum, scilicet rubearum vnc. j.
 Gly-

Glycyrrhizæ vnc. β.

Spicæ Nardi drach. ij. β.

Sem. Apii,

Fœniculi,

Anisi, ana drach. vij.

Aquæ lib. vj.

Aceti lib. ij.

Sacchari lib. iiij.

Ingred. xiiij.

In Succis, & aqua primò proiiciantur omnia, & bulliât ad duarum partiû consumptionem, scilicet quattuor lib. deinde colo traijciantur, & exprimantur, & cum Saccharo, & Aceto fiat Sirupus. Ignoro ego necessitatem addendi libram vnam aquæ, nisi dicamus desiderium cōtradicens, aut aliquid adiungendi huius fuisse in causa.

Error aliquorum.

Oxyfaccharum Simplex, quod Syrupus

Acetatus vocatur.

℞. Sacchari lib. v.

Aceti lib. ij.

Aquæ lib. iiij.

Ingred. iij.

Simul confusa igni lento, vase vitreato, spumã diligenter auferendo percoquantur.

Oxymelis descriptio à Galeno desumpta 4. de sanitate tuenda cap. 6.

℞. Aceri albi acerrimi lib. j.

Mellis

174 De vera Meth. Pharm. par.

Mellis optimi lib. ij.

Aquæ fontis lib. iiij.

Ingred. iij.

Geminum modū hoc parandi nobis reliquit Gal. dicēs: Cum aqua verò statim ita facies Oxymeli, Melli quadruplū optimæ aquæ miscebis, deinde coques modico igni, quoad spumare desinat, post verò aceto adiecto, rursus coquendum, donec qualitatū sit unitas, nec acetum crudum etiā appareat (hanc rationem conficiendi seruauit Mesue spumam tamen perpetuò abijcendo) conficitur præterea tribus illis ab initio mistis ad hunc modum, hæc ad tertiam partem coquantur, vel etiam quartam spuma interim detracta, quod si ualentius studere facis tantumdem iniicies aceti, quantum mellis. Hæc ille.

Secaniabin, idest Oxymeli de Radicibus Mes.

Rx. Corticum mundatarum, & incisarum radices

Apri,

Fœniculi, ana vnc. ij.

Sem. Apri,

Fœniculi,

Anisi, ana vnc. j.

Aceti lib. x.

Aquæ lib. xx.

Mellis lib. x.

Ingred. viij.

Macerentur omnia vase lapideo, horis viginti-quattuor, colato adde mel, & igni lento percoque. Fit Phlegmagogum id, si inter coquendum medulla

dulla feminis Cnici, idest Carthami, panno lineo raro ligata mergatur, & confricetur. Potentiùs euacuabit, si etiam Turpethum cum Zingibere nodo prædicto addatur. Hæc Mesue.

Oxymeli Scilliticum Mesue.

℞. Aceti Scillitici lib. ij.

Mellis despumati lib. iij.

Ingr. ij.

Coque despumando, vt in Oxymelite diximus. Quod interdum fit cū radicibus, sed addita aqua, vt superius diximus.

Syrupus de Mentha Mesue.

℞. Succu Cydoniorum Muzorum, i. acido dulciū,

Dulcium,

Succu Granatorum Muzorum, i. acido dulciū,

Acidorum,

Dulcium, ana lib. j. β.

Menthæ ficcæ lib. j. β.

Foliorum rosarum vnc. ij.

Mellis aut Sacchari lib. ij.

Aromatizetur cum Gallia, i. script. ij. *Ingr. ix.*

Macera Mentham ficcam, rosarumque folia in dictis succis, qui exstant libr. vij. cum dimidia, prius tamen manibus disrupta, & dilacerata, & lignulis illis, quibus folia adhærent, priuata, viginti.

176 De vera Meth. Pharm. par.

Error mul-
torum.

Alter error.

gintiquattuor horis, coque ad dimidias, deinde co-
latum cum Melle coquatur. Mirum est multos Se-
plasiarios affirmasse Mentham non posse illa succo-
rum quantitate macerari, quod quidem ridiculum
existit, dummodo Mentha sit dilacerata, & diligen-
ter exsiccata, & succi libře septem cum dimidia, &
non quinque, vt illi somniant. & in textu Antiquo
& Siluij legitur libra vna, & dimidia Menthæ, &
non dimidia, aut vna tantum. Aromatizetur cum
duobus scrupulis Galliæ.

Syrupus Absinthij Mesue.

Rx. Absinthij Romani, scilicet cōmunis ficci lib. ij.
Foliorum Rosarum, scilicet rubearum vnc. ij.
Spicæ Nardi drach. iij.
Vini albi, antiqui, boni, odori,
Succi Cydoniorum, ana lib. ij. β.
Mellis, aut Sacch. lib. ij. *Ingred. vj.*

Conficitur, vt Syr. de Mentha.

*Mina Cydoniorum, vel Conditum ex Cydonijs
Mes. et preparandi Exercitatio.*

Rx. Succi Cydoniorum acidorum lib. xx.
Vini antiqui, boni lib. x.
Mellis boni, & desp. lib. vj.
Cinnamomi,
Cardamomi, ana drach. iij.

Caryo-

Caryophyl. dr. ij.

Zingiberis,

Macis,

Ligni Aloes,

Mastiches, ana drach. j. β.

Crocī drach. ij.

Moschi script. j.

Galliæ drach. ij.

Ingred. xij.

Vinum, & Succus coque igni lento semper despu-
mando ad tertiæ partis consumptionem, cola, resi-
dendo clarescat, claro adde Mel, iterum coque de-
spumando, & in eo suspende nodulo ligata aroma-
ta parùm trita excepto Croco, fricando nodulum;
cum ad crassitiem fuerit, Aromatiza drach. vnus
tertia parte Moschi, & Galliæ drachmis duabus.
Hæc Mes. Quot sunt Pharmacopei, qui nec in Syr.
de Mentha, nec in hoc Cōdito Moschum, nec Am-
bram imponunt, maximo cum detrimento agro-
rantium, aut autoris contēptu. Gallia, & Moschus
aliqua Syrupi portione in mortario leuigetur.

Error mul-
torum.*Mina Cydoniorum simplex Mesue.*

℞. Succī Cydoniorum acidorum lib. xx.

Vini antiqui, boni lib. x.

Mellis despumati, aut Sacchari lib. vj.

Ingred. iij.

Coquatur, vt superius.

Z Syrupus

*Syrupus è granis Myrti compositus, qui apud
omnes est in usu.*

℞. Granorum Myrti drach. xx.
Santalorum Alborum,
Rubeorum,
Balauft. scilicet florum Granatorum,
Berberi,
Sumach, ana drach. xv.
Mespila immatura, & exsiccata nu. xxx. vel co-
rum drach. l.
Aquæ lib. viij.
Succi Granatorum acidorum,
Cydoniorum, ana vnc. vj.
Sacchari lib. iij. *Ingred. xj.*

Maceretur omnia in aqua per diem, & noctem,
postea coquantur ad dimidium, colentur, & expri-
mantur, & ex succis, & Saccharo, & expresso fiat
Syrupus.

Syrupus de Calaminthe Mesue.

℞. Calaminthes Domesticæ,
Siluestris, idest Nepitæ, ana vn. ij.
Ligustici,
Dauci,
Schænanthus, ana drach. v.
Vuarum passarum à nucleis purgatarum lib. β.
Mellis

Mellis lib. ij.

Aquæ q. s.

Incred. viij.

Coquantur, vt est artis, in quinque, aut sex libris aquæ, deinde cum Melle fiat Syr.

Syrupus de Thymo Mesue.

℞. Summitatum Thymi vnc. ij.

Calaminthes,

Menthæ siccæ, ana drach. v.

Sem. Apii,

Fœniculi,

Dauci, eius loco Sem. Pastinacæ siluestris.

Anisi, ana vnc. β.

Vuarum passarum purg. à nucleis vnc. iiii. β.

Mellis lib. ij.

Galliæ, scilicet Moschatæ drach. ij.

Cum libris sex Aquæ fiat Syr. ex arte. *Incred. xj.*

*Syrupus de Eupatorio Mesue, vel de Agerato,
vt Dioscorides.*

℞. Radic. Apii

Fœniculi,

Intybi, scilicet Endiuia, ana vnc. ij.

Glycyrrhizæ,

Schœnanthus,

Cassuthæ, idest Cuscutæ, ana dr. vj.

Z 2

Abfin-

180 De vera Meth. Phar. par.

Abfinthii,

Rosarum, ana drach. vj.

Adianti albi,

Bedeguar, scilicet Spinæ albæ,

Succhaha, f. Spinæ Arabicæ, vel Ægyptiæ.

Florum Buglossi,

Sem. Anisi,

Fœniculi,

Eupatorii, idest Agerati Diosc. ana dr. v.

Rhabbari, ab Arabibus Rauedfeni,

Mastiches, ana dr. iij.

Spicæ Nardi,

Afari, idest Baccaræ,

Folii, Caryophyllorum folia, aut Cinnamomi
eius loco, ana drach. ij.

Aquæ lib. viij.

Sacchari lib. iij.

Succi Apii, & Intybi quantitatem sufficientē,
quæ est librarum duarum circiter pro vno-
quoque eorum.

Ingred. xxiiij.

Bulliant omnia secundum artem ad tertiam, po-
stea cum succis, & Saccharo fiat Syrupus.

Syrupus de Epithymo Mesue.

℞. Epithymi boni, hortensis drach. xx.

Myrobalanorum Indarum,

Citrearum, ana drach. xv.

Cassuthæ, idest Cuscutæ drach. x.

Fumariæ

Fumariæ drach. x.
 Thymi,
 Calaminthes,
 Buglossi,
 Stachados,
 Glycyrrhizę,
 Rad. Polypodii,
 Agarici,
 Myrobalan. Emblic.

Belliricarum, ana drach. vj.

Rosarum,

Sem. Feniculi,

Anisi, ana dr. ij. β.

Pruna xx.

Vuarum passarum purg. vnc. iiij.

Tamarindorum vnc. ij. β.

Sacchari lib. iiij.

Sapæ lib. ij. *Ingred. xxij.*

Percoquantur in libris decem aquæ ad exhalationem tertiæ partis, & primò Pruna nucleis priuata, Polypodium, & cetera secundum artem.

Syrupus Stachados Mesue.

Rx. Florum Stachados drac. xxx.

Hæc, idest Thymi,

Calaminthes, Mentastri in eius defectu,

Origani, ana drach. x.

Anisi,

Pyretri, ana drach. vij.

Piperis

Piperis longi drach. iij.

Zingiberis drach. ij.

Vuarum passarum purg. vnc. iij.

Mellis lib. v.

Aquæ q. s.

Condiatur Cinnamomi,

Calami aromatici, idest Communis,

Spicæ Nardi,

Croci,

Zingiberis,

Piperis Nigri,

Longi, ana drach. j. β . *Ingred. xvij.*

Hæc ligata sint panno raro, & appensa in Syrupum. Datur vncia vna, cum aqua, cui incocta sint Spica, & Alchilil, idest Roremarius. Decoquantur in decē libris aquæ ad tertiā, & cum Sacch. fiat Syr.

Syrupus Fumariæ maior Mesue.

$\mathcal{R}$. Myrabol. Cepularum, idest Chebul.

Citrearum, idest Citrin. ana drac. xx.

Florum Violarum,

Boraginis, vel Buglossi,

Abinthii,

Cassuthæ, idest Cuscutæ, ana vnc. j.

Glycyrrhizæ,

Rosarum, ana vnc. β .

Epithymi,

Polypodii, ana drach. vij.

Pruna

Pruna num. centum,

Vuarum passarum purg. vnc. β.

Tamarindorum,

Cassia fistulæ, ana vnc. ij.

Aquæ lib. x.

Succi Fumariæ cocti, & purgati,

Sacchari, ana lib. iij. *Ingr. xvij.*

Bulliant in aqua ad consumptionem septem librarum, & cum succis, & Saccharo fiat Syrupus. Mesue. Sint fructus omnes nucleis priuati, vt Myrob. Tamarindi, Pruna, & Cassia semine. Quidā Aquæ libras duodecim paruifacientes autoris descriptionem imponunt.

Error aliorum.

Syrupus Glycyrrhizæ Mesue.

℞. Glycyrrhizæ vnc. ij.

Adianti, idest Capil. Vener. vnc. j.

Hyssopi sicci vnc. β.

Aquæ lib. iij.

Penidiorum,

Sacchari,

Mellis, ana vnc. viij.

Aquæ Rosarum vnc. vj.

Ingr. viij.

Macerentur horis vigintiquattuor Glyc. Adiantum, & Hyssop. & bulliant ad dimidias, expressum percoque cum Saccharo, Melle, & Penid. cui finem versus paulatim aqua rosacea addatur.

Syrupus

Syrupus de Betonica Compositus.

℞. Betonicæ M. iij.
 Maioranæ,
 Saluiæ,
 Roremarini, ana M. j.
 Thymi,
 Rosarum,
 Stæchados, ana M. β.
 Sem. Fœniculi,
 Ameos, loco eius Cumini,
 Anisi, ana vnc. β.
 Rad. Peoniæ,
 Fœniculi,
 Pyrethri, ana drach. v.
 Aquæ communis lib. vj.
 Succi Betonicæ lib. ij.
 Sacchari lib. iij. β. *Ingred. xvj.*

Macerentur in aqua, bulliant ad consumptionem dimidij, colentur, & cum Succo, expresso, & Saccharo fiat Syrupus.

Syrupus Nimpheæ.

℞. Florum Nimpheæ lib. j.
 Aquæ communis lib. iij.
 Sacchari lib. ij. *Ingred. iij.*

Mace-

Macerentur flores per noctem in aqua calida, & hoc ter reiteretur, semper libram vnā florum infundendo, postea colentur, & cum expresso, & Saccharo fiat Syrupus.

Syrupus de Cicorio cum Rhabarbaro

Nicolai Florentini.

℞. End. Domestica,
 Siluest. i. Cicorij, quod in agris nascitur,
 Cicorii,
 Taraxacon, idest Condrillæ, vel Sonci loco
 eius, ana M. ij.
 Cicerbitæ,
 Hepaticę,
 Scariolæ, idest species Endiuia Siluest. quæ di-
 citur Seris,
 Lactucæ,
 Fumariæ,
 Lupulorum, ana M. j.
 Hordei non excort. vnc. ij.
 Vesicariæ, idest Alkekengi, species Solani,
 Glycyrrhizæ,
 Capil. Veneris,
 Asplenii, à vulgo Citrach,
 Polytrichi,
 Adianti, hoc loco Gallitrici,
 Cassuthæ, ana dr. vj.
 Corticum Radic. Feniculi,
 Apii,
 Asparagi, ana vnc. ij.

A a

Sac-

186 De vera Meth. Pharm. par.

Sacchari lib. iiij.

Rhabarb. vnc. ij.

Spicæ drach. v. β.

Incred. xxv.

Error aliquorum.

Decoquantur omnia, ut est artis, in duodecim aquæ circiter libr. ad diminutionem dimidii, coloratiiciantur, & exprimantur, expressum cum Saccharo decoquatur, & inter bulliendum panno raro Rhabarbarum negligenter detritum, & Spica inuoluta suspendantur, & sæpe fricentur: aut, ut capite de Decoctis, & Serapiis diximus, in aliqua portiuncula Decocti macerentur, & Syrupo, dum decoquitur, addantur. Sed primus modus est auctoris ad mentem, quam exequi debemus; etiam si multi affirmant Rhabarbarum nodulo illo detentum non distribui omnino in Syr. At hi fortè non confricabant sæpe nodulum, nec ipsum exprimabant. Sit pannus lineus, & rarus, & latus, quo nodulus paratur.

Syrupus Cicorij Guilielmi Placentini.

℞. Folior. Cicorii M. j.

Boraginis,

Lactucæ,

Linguae Bovis, idest Buglossi,

Oxalidis, idest Acetosæ,

Scariolæ siluest.

Scariolæ, species Endiviæ, q̄ dicitur Seris.

Violarum, ana M. β.

Aquæ.

Aquæ communis lib. iij.

Sacchari lib. ij.

Ingred. x.

Bulliant secundum artem ad tertiæ partis consumptionem, colentur, & fiat Syrupus.

Syrupus de Artemisia Matthæi de Gradi, vel de Matricaria, ut vulgo placet.

Rx. Artemisiæ M. ij.

Pulegii,

Calaminthes,

Origani,

Melissæ,

Dictamni Cretici,

Perficariæ,

Sabinæ,

Amaraci, idest Maioranæ,

Chamædryos,

Chamæpithyos, seu Iue Arther.

Hyperici, idest Perforatæ,

Centaurii parui,

Partenii cū flore, i. Matricarię, à vul. Amarella.

Rutæ,

Betonicæ,

Buglossi,

Rad. Feniculi,

Apii,

Petroselinì,

Asparagi,

Rufci, ana M. j.

A a 2

Rad.

188 De vera Meth. Pharm. par.

Rad. Saxifragiæ, in cuius def. Rad. Pimpinellæ,
Iridis,
Enulæ,
Rubiæ,
Peoniæ,
Cyperī, ana M. j.
Sem. Iuniperi,
Smyrni, seu Ligustici,
Petroselini,
Apii,
Anisi,
Agith, idest Nigellæ,
Calami Aromatici, eius loco Zedoariæ,
Cassia, scilicet Cinnamomi vulg.
Carpobalsami, loco eius Cubebæ,
Costi, eius loco Angelicæ,
Asari,
Phu, eius loco Valerianæ,
Pyrethri, ana vnc. β.
Percoquantur in xvj. libris Aquæ secundum ar-
tem, ad consumptionem viij. librarum, & cum v.
Sacchari lib. fiat Syr. *Ingred. xliij.*

Syrupus de Scolopendrio, qui est in usu.

Rx. Citrach, idest Scolopendrij,
Phyllitidis, idest Linguae Ceruinæ,
Endiuia,
Hepaticæ,
Absinthii, ana M. β.

Cico-

Cicorij M. β.

Cassuthæ, idest Cuscutæ drach. j.

Sem. Commun. frig. maiorum, ana drach. ij.

Florum Boraginis,

Buglossi,

Capil. Veneris, ana M. j.

Rad. Fœniculi,

Petroselini,

Rusci, ana M. β.

Aquæ communis lib. vij.

Sacchari lib. iiij.

Fiat Serapium, & condiatur cum Laccæ Infecto-
rum, quæ est Gummi species.

Cassæ,

Folij, vt Caryophil. ana drach. ij. *Ingred. xxij.*

Quæ negligenter terantur, & panno raro ligen-
tur, & nodulus in Syr. dum coquitur, suspendatur,
& exprimatur.

*Syrupus acidus ex Manna Mesue, qui
à nobis laudatur.*

℞. Mannæ vnc. iiij.

Succi Intybi cocti, & purgati lib. j.

Maceretur Manna in dicto Succo, & vas sit lapi-
deum, manibus fricentur, colentur post cum

Aquæ Rosarum,

Succi Granat. acido dulcium, ana lib. j.

Succi Vuarum agrestium, lib. β.

Succi

190 De vera Meth. Pharm. par.

Succi acidi Citrorum, lib. β.

Sacchari lib. iiij. *Ingred. viij.*

Percoquantur.

*Syrupus de Polypodio, seu Filicula compositus,
qui à nobis probatur.*

Rx. Florum Buglossi,

Boraginis,

Violarum,

Rosarum, ana M. j.

Epithymi vnc. iiij.

Cassuthæ, à vulgo Cuscutæ vnc. j.

Glycyrrhizæ,

Melissæ, ana drach. ij.

Sem. Fœniculi,

Anisforum, ana drach. iiij.

Pruna num. xx.

Passarum purgatarum vnc. iiij. β.

Polypodii lib. ij. β.

Senæ lib. β.

Turpethi,

Agarici, ana vnc. ij.

Myrobalan. Citr. & Nigrarum, ana vnc. iiij.

Succi Borag.

Lupulorum,

Fumariæ, ana lib. iiij.

Infusionis Rosarum solutiue lib. v.

Sacchari

Mellis, ana lib. iiij.

Ingred. xxiij.

Infun-

Infundantur Polypodii Radices mundatæ, & contusæ in dictis liquoribus per diem, & noctem; deinde bulliant ad consumptionem dimidii, cetera addendo secundum artem, colentur, & exprimantur, & cum Saccharo & Melle fiat Syrupus, cui dū decoquitur, addatur infusum, & expressum Agari- ci, Turpethi, & Myrobal. quæ omnia in aliqua portione succorum, & infusionis sint prius mace- rata, & nonnullis ebullitionibus feruefacta. Vel hæc crassiusculè detrita, & dictis liquoribus irrorata lineo panno, raro, & laxo ligata inter coquendū Syr. sæpe fricentur, & exprimantur. Possumus etiā omnia eodem tempore, & etiam purgantia infun- dere, macerare, decoquere, & exprimere, & cum Saccharo, & Melle Syr. conficere. At primus mo- dus nobis magis arridet.

*Syrupus de Polypodio Gentilis Fulig. qui
Mirachinus vocatur.*

Rx. Polypodij recentis vnc. iij.

Buglossi,

Melissæ, ana M. j.

Ciperi,

Acori, in eius defectu Calami Arom.

Asari,

Cort. radic. Cappar. ana vnc. β.

Senæ,

Epithymi, vnc. ij.

Sem. Endiuia,

Lactucæ, ana vnc. β.

Sem.

192 De vera Meth. Phar. par.

Sem. Scariolæ vnc. j. β.

Aquæ lib. v.

Mellis Rosati lib. ij.

Ingred. xiiij.

Crassiufcule terantur, & secundum artem bulliant ad consumptionem duarum librarum, & cum Melle fiat Syr.

*Syrupus de Polypodio Augustini Sueffani,
qui etiam laudatur.*

℞. Polypodiilib. j.

Fumariæ,

Lupulorum, ana vnc. j. β.

Corticum Myrobal.

Rhabarbari,

Foliorum Senæ,

Epithymi, ana vnc. j.

Florum Boraginis,

Buglossi,

Violarum,

Camepith. idest Iuæ Artericæ, ana vnc. β.

Glycyrrhizæ,

Vuarum passarum, ana drach. iiij.

Succi Fumariæ,

Lupulorum, ana lib. ij.

Sacchari lib. iiij.

Aquæ comm. lib. x.

Ingred. xvij.

Infundantur omnia per noctē, coquantur ad dimidium, & cum Succis, & Saccharo fiat Syrupus.

Syrupus

Syrupus è Succo Iridis.

Rx. Iridis Succo depurati, & cocti lib. iij.
 Rosarum purpurearum,
 Absinthij, ana M. j.
 Ligni Aloes,
 Caryophyl.
 Cinnamom. ana drach. β.
 Sacchari lib. j.
 Mellis lib. β.

Ingred. viij.

Macerentur Rosæ, & Absinth. per noctē in succo, bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & fiat Syrupus, qui condiatur ligno Aloes, & aliis nudo detentis.

*Syrupus de Iua Artetica Nicolai Florentini,
 seu Chamæpythio.*

Rx. Iuæ Arteticæ, idest Chamæpyth. M. ij.

Saluæ,
 Maioranæ,
 Rorismarini,
 Polij,
 Origani,
 Calaminthes,
 Mentast.
 Pulegii,
 Hyssopi, ana M. j.

Bb Thymi,

194 De vera Meth. Pharm. par.

Thymi,

Rutæ Siluestris,

Domesticæ,

Betonicæ,

Serpilli, ana M. j.

Rad. Acori, Calami Aromatici offic. eius loco,

Aristolochiæ Longæ,

Rotondæ,

Phu, idest Valerianæ,

Cucurbitæ siluest. idest Brionia,

Gentianæ,

Dictamni, ana vnc. β.

Cort. Rad. Fœniculi,

Petroselini,

Apii,

Asparagi,

Brusci, ana vnc. j.

Stæcados,

Sem. Anisi,

Fœniculi,

Leuistici,

Ameos, scilicet communis, vel Cumini,

Carui,

Siler. Mont. ana drach. iij.

Pyretri drach. j. β.

Passarum vnc. ij.

Aquæ commun. lib. xij.

Sacchari lib. iij. β.

Ingred. xxxviii.

Infundantur omnia per noctem, bulliant ad di-
midium,

midium, & cum Saccharo fiat Serapium, aut fiat Decoctio secundum naturam Simplicium, quæ dicitur secundum artem.

Syrupus Rosatus Solutivus.

℞. Infusionis Rosarum Solutivæ lib. vj.

Sacchari lib. iiij.

Ingred. ij.

Decoquantur simul spumam abiiciendo ad Syrupi consistentiam: non sit autem minor Infusionis quantitas; ægrè, & imbecillè alium subducat, quod non rarò evenit ob aliquorum Seplasiariorum avaritiam: qui tantum quattuor, aut quinque Infusionis libras sumunt, quæ imperfecta non rarò existit: Illa enim optima re vera censetur, quæ colore suffusa est rubro, sapore amara, & Rosarum odorem redolens: à quibus omnibus necesse est iniucundum, & insuavem reddi Syrupum, si sufficientem Infusionis quantitatem in se recipiat. Attamen multi extant Medici, qui arbitrantur Syrupum quemdam Rosarum Solutivum, quæ Auri nomine decorant, minus amarum, minus odorem, & colore non rubeum, sumptum eadem quantitate, vel paulò maiori eandem efficere operationem: Ignorant hi, mihi parcant, purgatricem facultatem in crassiori parte Infusionis consistere; exemplo sit nobis *Aqua Rosarum per sublimationem facta*, quæ narrante Mesue, multum roborat, sed non purgat, at *aqua Infusionis tergit, & purgat*. In hac enim servatur odor, ama-

Seplasiario-
rum avaritia.

Error quorūdam Me-
dicorum.

Bb 2 ritudo,

ritudo, & color, quæ sunt præcipuæ Rosæ conditio-
 nes, vt Mesue, qui hæc: *Ignea denique substantia tenui,*
à qua est amaritudo, rubor, perfectio, & forma, ob quam
amaritudinem Rosæ recentes purgant. Si igitur rubeo co-
 lore priuetur Infusio, (quo ablato fortè Infusū Ro-
 sarum non erit vocandum; cum Rosa nō rubea, sit
 tamquam homo mortuus, qui non est homo, teste
 Mes.) & amaro sapore: inconsonum est rationi al-
 ium proritare, nisi magna copia eius desumatur.
 Medici isti, ni fallor, sunt in causa, vt aliqui Seplasia
 rij animo illos irridentes, aliquid Scammonii in ta-
 le Serapium iniiciant; vt eorū placitis indulgeant.
 Mesue Syrupum Rosatum ex Infusione, & Saccha-
 ro non descripsit, sed ex Succo, & Saccharo, vt capi-
 te de Rosis legitur.

De Syr. Rosato Simplici, vel Iulepo Rosato Mes.

℞. Infusionis Rosarum simpl. lib.v.
 Sacchari lib.iiij.

Ingred. ij.

Fiat Syr. vt est artis. Mes. sub Zulapiis locauit.

Mel Rosatum Solutiuum.

℞. Infusionis Rosarum solutiue lib.vj.
 Mellis despumati lib.iiij.

Ingred. ij.

Decoquantur spumam auferendo, & colo den-
 so transmittantur.

Mel

*Mel Rosatum Simplex, vel Rhodomel
ab Aëtio vocatum.*

Fit, vt Syrupus Rosatus.

Mel Rosatum Saccharinum.

℞. Infusionis Rosarum lib.v.

Sacchari lib.j.

Mellis lib.ij.

Ingred. iij.

Coquantur ex arte, ad compagem Syrupi.

Syrupus Violaceus Solutiuus.

℞. Infusionis Violarum solutiuae lib.vj.

Sacchari lib. iij.

Ingred. ij.

Fiat vt Rosatus.

Mel Violatum Simplex.

℞. Infusionis Violarum simpl. lib. v.

Mellis lib. iij.

Ingred. ij.

Decoquantur, vt est artis.

*Syrupus de Scabiosa, quæ non est Stabe, vt aliqui
credunt, si Diosc. descriptioni credendum.*

℞. Succu Scabiosæ lib. iij.

Gly-

Glycyrrhizę vnc. j.

Corallii albi, & rubei præp. ana drach. j.

Sacchari lib. ij.

Aceti vnc. iij.

Incred. vj.

Minutissimè incidatur Glycyrrh. & infundatur per noctem in succo calido, colentur, & fiat Syrupus, qui condiatur Coral. panno raro inuolutis, & dum decoquitur irroretur aceto, vel hoc succo misceatur.

Syrupus de Rosis siccis.

Rx. Infusionis Rosarum siccarum,

Sacchari elect. ana partes æquales. *Ingr. ij.*

Fiat Infusio, vt illa recentium, sed minor sit Rosarum copia.

Syrupus de Prassio Mesue.

Rx. Prassij vnc. ij.

Hyssopi,

Adianti, scilicet Capil. Ven. ana dr. vj.

Glycyrrhizę vnc. j.

Calaminthes,

Anisi,

Rad. Apii,

Fœniculi, ana drach. v.

Ireos drach. iij.

Sem.

Sem. Maluæ,

Fenugreci, ana drach. iiij.

Sem. Lini,

Cydoniorum, ana drach. ij.

Vuarum passarum purg. vnc. v.

Ficus passas nu. xv.

Penidiorum,

Mellis despumati, ana lib. ij. *Ingred. xviij.*

Decoquantur omnia secundum artem in nouē lib. aquæ ad consumptionem dimidij, colentur, & cum Penidiis, & Melle fiat Syrupus.

*Syrupus de Moris, qui Diamoron à Mesue,
et à multis appellatur.*

℞. Succi Mororum Domesticorum,

Battinorū, i. Rubi, ana lib. j. β.

Sapæ,

Mellis, ana lib. j.

Ingred. iiij.

Igni lento coquantur ad Mellis spissitudinem.

*Diamoron à Galeno lib. vi. Comp. Med.
per loca cap. i.*

℞. Succi Mororum lib. v.

Mellis lib. j.

Ingred. ij.

Decoquantur. At Heras Cappadox in lib. Medica-
camenta-

200 De vera Meth. Pharm. par. &c.

camentario, referente Gal. ponebat Mellis lib. vnā,
& Succī libr. vj. addit Galenus interdum Crocum,
Myrrham, & Omphacium.

*Dyacarion, siue Syr. de Nucibus, inuentum à
Gal. vt scribitur lib. 6. de Comp. Med.
per loca, cap. 1.*

℞. Succī corticis externi Nucum in vigore existē-
tium lib. v.
Mellis lib. j. *Ingred. ij.*

Cortices in mortario contundantur, & succus
linteo excoletur; est enim aquosus, & compage te-
nuis. Hæc Gal.

Dyacarion Mesue, quod est suauius.

℞. Succī ex corticibus Nucum viridium diebus ca-
nicularibus extracti lib. iiij.
Mellis lib. ij. *Ingred. ij.*

Coquantur ad Mellis crassitiem.

